

*Iacobus Bocerius*  
**HENRICI**

**BOCERI, JCti.**

**INCLYT A IN ACADEMIA**

*Tubingensi Antecessoris, &c.*

**Commentarius**

*Dela P. obis poeca del lo. mayor. cluena.*

**I N**

**JUSTINIANI**

**IMPERATORIS LIBRVM**

**I. INSTITUTIONVM JURIS,**

*singulari diligentia ante annos 24. adornatus, nuper recognitus,  
juris studiosis apprimè fructuosus.*

**IN TRES RELIQUOS LIBROS COM-**

**MENTARII AB EODEM AVTORE SIMILITER OLIM**

*conscripti, nunc denuò regustati, ordine (Deo gratiam largiente)  
separatim sequentur.*



**T U B I N G Æ,**

**Excudebat Theodoricus Vverlin, Impens. Iohan.**

*Berner, Civis, & Typof. Francof.*

**A N N O M. D C. X V I I I.**



# DE COMMENTARIO HOC A U T H O R I S

## Praefatio.

**A**NNOS ANTE VIGINTI  
quatuor completos ferè ad confici-  
endos, in Iustiniani Romanorum  
quondam Imperatoris Augustissimi  
Institutiones quoque juris, commentarios stu-  
dium contuli meum. Illi autem quasi neglegti  
meā in Bibliothecā hucusque delituerunt; &  
necdum publici juris facti fuissent, nisi in me-  
moriā nuper revocasset mihi magnitudinem  
laboris, quem in ipsis impendi sedulò.

Non quidem ignoro docta aliorum, & elab-  
orata cùm veterum, tūm recentiorum com-  
mentaria in hunc elegantissimum Cæsareum  
libellum extare; verū quia in meis meditatio-  
nibus illis, cùm eas non ita pridem regustarem,  
animadverti, editione & lectione earum juris  
studiosis adjumentum aliquod ad cognoscenda  
juris principia solida, allatum iri, animum in-

: ( 2 duxi



# De Proœmio INSTITUTIONVM Iustiniani Imper.



PER OSIS NONNULLI COMMENTARIIS proœmium hoc, & Iustiniani Imper. titulos ipsi proœmio præpositos, explicant. Verum quia historicum illud est, nec ad juris cognitionem pertinet, laborem meum eò non extendam.

Totius autem proœmii hujus quæstio hæc est: Num hæ Institutiones vim legis habeant, & à tyronibus avidè prompteque acceptari, & dici debeant? Hanc quæstionem bimembrem affirmativè decidit Imper. & prius quidem membrum à causa effidente; posterius à materia, & forma.

Causa Institutionum efficiens principalis est ipse met Iustinianus Romanorum Imperator, qui describitur hic ab adjunctis duabus, quod scilicet armis sit decoratus, & legibus armatus, proindeq; potestatē cōdendæ legis habeat; quæ adjuncta declarantur ab effectis Iustiniani Imper. quæ sunt, quod hostes suos devicerit, & innumerabiles provincias suis victoriis Romanæ ditioni, & Imperio restituerit: quodque populo Romano antea etiam leges partim promulga- verit, partim composuerit: Quod utrumque exemplis declarat.

Principali huic causæ adiiciuntur etiam causæ adjuvantes; Ut sunt Tribonianus, Theophilus, & Dorotheus, viri illustres Anteces- sores, quorum operâ & studio in componendis hisce Institutionibus Imperator usus fuit.

Hoc autem Syllogismo prius quæstionis propositæ membrum Imper. concludit: Illæ juris Institutiones vim legis obtinent, & ab omnibus Imperio Romano subjectis observari debent, quæ Imperatoris autoritate compositæ, & editæ sunt: Sed hæ juris Institutiones sunt ciuiusmodi: Ergo, &c.